PAGANINI GAVDENTII
Doctoris Theologi.

DE RATIONE CONSEQVENDI ELOQVENTIAM

ORATIO

HABITA PISIS IN GYMNASIO
Cum aggrederetur Literarum Humaniorum Professionem.

AD SERENISSIMVM
FERDINANDVM II.
MAGNVM HETRVRIAE DVCEM



PISIS,
Apud Leonardum Zeffium M.DC.XXVIII.
SVPERIORVM Permissu

SERENISSIME DOMINE.

IActabar variæ consultationis fluctibus, quando tua beneficentiæ splendidißimum emicuit lumen. eius ductu, quam iucundum fuit in celeberrimo Gymnasio considere non procul à Portu, ex quo prodeuntes quotannis inuicta Triremes, Tuis auspicijs terrorem incutiunt Osmanidis, & nuper illis diebus, quando mari cogitabam committere bibliothecam, quam felix nuncius Romam allatus omnium ordinum homines ingenti voluptate perfudit? In ore cunctorum versabatur Tui Principatus memorandum initium partim fugatis Barbarorum nauibus, partim ita interceptis, vt Christiani supra quingentos durißimum seruitium deposuerint, & ex hostibus trecenti in vincula, quæ alijs parabant, inciderint. Te Cœlo dilectum prædicabant, cuius sceptro statim tanta beneuolentiæ signa coniungeret Numen. Meminerant, quæ paulo ante pietatis Austriaco more dignißima dedißes argumenta. Inter tantos applausus quanta lætitia diffundebar, qui tunc meum obsequium ad profitendas humaniores literas

detulissem. Gaudebam quod iam ex tanto patrocinio colligerem fructum, quando non erat quod à Piratis librariæ supellectili immineret periculum. Unde non incerta ratione colligebam feliciter cessuram nauigationem, nec votis susceptis obstringendum me littoralibus Dijs. Certè Roma profectus vbi in tuum conspectum venerabundus veni, summam benignitatem expertus in illas cogitationes non potui non venire, vt intimis Amicis significarem, eo die nullum vnquam lætiorem mihi illuxisse. Et subsecuta responderunt meis desiderijs, dum solemni more habui orationem in consessu præstantissimorum hominum, in qua cum non negem esse omnia exilia, hoc tamen, quod cupiebam potissimum, obtinui ex alacritate qua dixi, vt intellexerint omnes me à tua præsentia cum summa discessisse hilaritate. Calebat adhuc animus ab agmine tot radiorũ, quibus velut æthereus sol meticulosas tenebras dissipaueras, disperseras, suppresseras. Et nunc magno lumini assuetus cur reformidem non multorum verborũ in publicas auras emittere stricturam? Prodeat sanè, prodeat, sed non alia de causa, quam vt indicet, quãtus ignis in hoc pectore surgat, quam ardeat, si quid est vigoris, dum submissus veneror præsidium, quod mihi præstas Serenissime Domine, apud quem lubens profiteor, qui viuida prudentia in florente iuuentute polles, quocunq; tuus nutus direxerit, pro magna ratione mihi futuram tuam voluntatem.

ORATIO.

IN tractatione literarum A.P. ego nunquam potui quorũdam approbare consuetudinem, qui scilicet in publicis præfationibus, illa, quorum præstantia cognitissima est, vel laudanda, vel defendenda suscipiunt. Non negauerim si nobis res sit cum hominibus rudibus, & infeliciter educatis posse aliquid operę impendi, vt ab errore liberentur, vel saltem alios in eumdem trahere desinãt. Sed cur tempus, quod omnium pretiosissimum est, quod fugit irreuocabile, inutiliter teritur apud elegantes homines, vt verum ipsis esse persuadeamus multis rationibus, cuius contrarium ne per somnium quidem ipsis venerit in mentem? Ego auspicijs, & liberalitate Serenissimi Magni Ducis, in istud Gymnasium ad profitendam Eloquentiam accitus vobis ne eiusmodi facultatem commendare instituam? Atqui vel cœlum Etruriæ hausisse ita componit hominis ingenium ad humanitatem, ad politiorem sermonem, ad aliorum beneuolentiam conciliandam, vt ei, qui Eloquentiam assertam velit, in alio argumento vberem dicendi copiam attulisse sufficiat. Dum me tenuitate ingenij metior, dum curtam supellectilem excutio, dum vires, & siquid est artium, publici consessus lance libro, agnosco equidem quam procul ab eo absim, vt huiusmodi

di ratione Eloquentiæ ſuppetias feram; animum tamen non deſpondens veſtra fretus humanitate ſub iſtud initiũ faciendum putaui, vt aliqua de Ratione cõſequendi Eloquentiam differerem, quod quidem inſtitutum ſuo fructu non cariturum puto, ſi beneuolè, quod veſter omnium iucundiſſimus conſpectus pollicetur, me audire non fueritis dedignati.

Principiò illud non puto prolixè ingerendum, quod obſeruatum à Plutarcho in omnium ore verſatur, tribus nempe opus eſſe ei, qui aliquid laude dignum præſtare velit in quacunq; profeſſione felicitate nempe ingenij, diſciplina, & exercitatione. Vt enim vulgò feratur poetas naſci, oratores fieri, ita iſtud eſt accipiendum, vt intelligamus poetas œſtro quodam, & diuino impetu ferri ad carmen, at in oratore diligentiam magis ad optatum finem perducere. Videtur nempe facultas illa pangendi carmina furor, videtur inſania; oratoris agendi ratio magis ſedata, labore nixa, vt nempe hoc ſolum aſſequamur ex vulgatiſſimo illo ſcito poetas ſua ardori cuidam ſibi cœlitus indito debere, oratorem verò ſedulitate igniculos naturæ excitare. Excitare, inquam, nam ſi frigeat, ſi hebes venerit in hanc luminis auram, fruſtra

Quatiet Demoſthenis arma,

Fruſtra tentabit Ciceronis grandia verba. Sed nolo immorari ſermoni de ijs, quæ Eloquentiæ adipeſcendæ communia ſunt, cum reliquis omnibus humanæ mentis facultatibus. Siquis igitur ex me quærat, quænam tandem Eloquentem efficere poſſint, videor mihi duo vobis poſſe nominare, magnam nempe rerum cognitionem,

tionem, & vsum multiplicem in vitæ ciuili. Istud est remigium duarum alarum, quibus vir generosus fretus non cum Dędalo

gelidas enabit ad Arctos.

Sed victor volitabit per ora virorum, & immortalitatis candidatus perennem posteris transmittet memoriam. Difficile sanè pennas istas sibi conficere, aptare, vt non metuant solui, vt non defatigeris, vt perpetuo motu latus applausum aspicientium merearis. Sed quotusquisq; est, qui nomen Eloquentis tandem bona fide obtinere possit? Illum certè ita descripserunt veteres, vt dicerent posse de omnibus rebus copiosè disserere, vt persuadeat, colligerentque nullum vnquam extitisse, qui eiusmodi nomen suis numeris absolutum fuerit consecutus. Sed non est, quod propterea à magnanimo proposito deterreamur: latè namque patet laus, quæ per Eloquentiam acquiritur, neq. statim suo fructu carebit ille, qui secundam philippicam Ciceronis, aut Demosthenis coronam, aut Periclis fulmina dicendo non æquauerit.

Et is reportat iucundum laboris pręmium, qui post summos oratores, consistit ordine in secundo, vel tertias habet, vel in nouissimo agmine ingreditur, sed inter eloquentes. Sed hoc ipsum, vt obtineat multus, & improbus labor ei exantlandus. Non vendunt dij famam, quæ per Eloquentiam commendat nisi sudore, nisi vigilatis noctibus. Dixi namq; primum opus ei, qui ad eiusmodi præstantiam pertingere cupit, opus, inquam, esse magna rerum cognitione. Conqueruntur multi, sed immeritò, quod magnam experiantur difficultatem,

quando

quando aliquid, vel publicè est dicendum, vel mandandum scriptis, vel vir aliquis in dignitate constitutus est, compellandus. Quando congrediendum est cum viris egregijs, post consuetum salutationis officium hærent attoniti, & nescij quò se vertant. Nisi statim instituatur sermo de ijs, quę quotidie exercēt, & per multos annos, nesciunt vnde materiam sumant colloquendi. Si prodeant ex vmbra philosophorum, & socij de ijs conferant, quæ heri, aut nudius tertius in vrbe gesta sunt, non aliter silent ad huiusmodi confabulationem

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Quam si è diuturno carcere in conspectum hominum prodirent, aut perpetuo Carthusiorum silentio. Nonnullis ex Hippocrateo sodalitio quantum negotij facessitur, nisi de differentijs pulsuum, de vitę principio, de locis affectis disputatio instituatur? Latissimo nempe ambitu quicquid in cognitionem hominis venire potest complectitur Eloquentia. Suo modo vtcunq; vocabitur sapiens ille, qui in aliqua disciplina cum maxima laude versatur, vt vix quicquam illum fugiat eorum, quæ ad eam pertinent; At ille demum absolutum, & memorabile sapientis nomen merebitur, qui omnem omninò disciplinam vasta mente complexus fuerit. Sic censete, Auditores, de Eloquentia, siquis aut feliciter in Iureconsultorum consessu de ijs, quæ vnicuiq; suum tribuunt disserat, siquis diserto, & vberi sermone magni Hippocratis enarret scita, si alius in oraculis diuinis, in arcanis Theologiæ enarrandis nihil in se patiatur desiderari, laudabitur ab omnibus, vt Eloquens Iureconsultus, disertus Medicus, locuples Theologus. Ille verò omnes

in

in admirationem sui rapuerit, si ista omnia, de quibus dixi singulatim exponat, & fluenti oratione ornet, & præterea in re familiari domestica proponat negotia, in aula nouerit quicquid solertiæ soleat adferri, de statu publico possit suppeditare consilia, siquis, inquam, cum quouis hominum genere ita versetur colloquendo, vt reliqua omnia videatur seposuisse, vt tantum de ijs agat, de quibus tunc instituitur aut disputatio subtilis, aut consultatio cauta, ille demum à diuina Suada non interituram reportauerit nominis gloriam.

Hic videor mihi aliquem ex aduerso audire dicentem, eamdem omnino esse difficultatem ad Eloquentiam peruenire, & magnam rerum cognitionem adipisci, vt nihil videatur dicere ille, qui cupienti consequi Eloquentiam, de vasta multarum rerum notitia acquirenda suppeditet consilium. Sed negare non potest quisquis ille est, qui sic differit, propius ad rem accedere me dum dico Eloquenti futuro opus magna rerum cognitione. Non omnes enim qui hac pollent Eloquentes dici merentur. At hæc via est qua tenditur ad sublime illud templum, siquis plurima discat, plurima nouerit. Nihil enim est expeditius, quam vt orator qui cupit esse, rerum ipsarum ingenium prius assequatur. Nam per Deum immortalem, quid est tam facile, tanta sponte veniens, quam vocabula ? Ipsa natura illa suggerit. Nec vnquam verborum inops fuerit ille, qui rem ipsam prius præuiderit acutè, & subtiliter expenderit. Res, inquam, tibi seligendæ sunt potenter, & deinceps omninò cogita te, & cum facundia dicturum, & à lucido ordine non deflexurum. Certa, inoffensa serie tibi con-

 stabit

ſtabit diſſertatio, ſi de ijs ſis verba habiturus, quæ tu diligenter domi perſpexiſti. Hic ego non poſſum non miſerari illorum infelicitatem, qui turbato ordine cum deberent de rerum notitia eſſe ſolliciti, ad exactiſſimum vocabulorum examen diuertuntur, inq; eo maximam vitæ partem ludicro labore conſumunt. Tantum enim abeſt, vt res eximiæ longo verborum apparatu ſint metiendæ, vt mihi intrepidè liceat pronunciare nullum vnquam extitiſſe magni nominis inter doctos virum, qui cum applauſu non confecerit propriam dicendi rationem, qui, inquam, non produxerit characterem loquendi eiuſmodi, vt non minus auctorem ſuum referat, quam parentem filius totius corporis ſingularibus lineamentis. O felices ter, & amplius Oratores, qui cùm animum generoſa rerum cognitione ſuccinxerint, quicquid eſt minutiarum in vocabulis vident ſibi ancillari. Familiam tamquam Imperatores agmina ducunt illi, qui magnitudine ingenij, & acri contentione eò peruenerunt, vt in numerum imitatorum redigi nequeant. Toto vertice ſupra plebeiæ ſortis homines conſiſtunt ſuſpiciendi, principibuſq; illis æquantur in republica literaria, qui ab omni æuo ob virtutem extra communes cogitationes poſitam meruerunt laurum

Vnde prius nulli velarunt tempora Muſæ.

Iam Salluſtius in hiſtoria Romana primus ediderat monumenta. Ciceronis orationes totum Latium ditauerant. Terebantur eiuſdem per omne genus argumentorum Epiſtolæ. In omnium ore verſabatur Virgilij diuinum carmen. Notiſſima erat Catulli arguta venuſtas; non defuere tamen ſubſecutis temporibus,

qui

qui caput extollerent, & cliuo per quem hactenus nullus incesserat, digrederentur. Certe qui dictus fuit Traiano locupletissimus panegyricus semper legetur, nec tamen simiolus Ciceronis audiet Plinius. In circumscripta rotunditate nemo secundas dederit Symmacho. Et fragor ille præceps Sidonij quem non iuuet, quem non detineat cum magna voluptate? Cornelium Tacitum nulla silebunt secula, quia tot tela strinxit ciuilium rationum dum historicæ consulit veritati. Ob carminis maiestatem in Thebaide ambiguam visus est palmam facere Statius. Neq; desunt hodie, qui malint vestigia Papinij sectari, vt sublimiores euadant. Certè amœnissimum Argenidis auctorem nunquam à Statiano sono potuisses diuellere. Si Martialem tantus non commendat lepor, at quam multiplici ludit dexteritate? Ita ipsius nomen ad nos peruenit laudatissimum, & qui possit omnes græcos, qui scripserunt Epigramma ad certamen prouocare. Animaduertit scilicet; acerrimus Horatius, quid esset conari aliquid non tentatum, dum profanum vulgus iubet facessere, dum doctos fauere, propterea quod Musarũ sacerdos carmina non prius audita cantaret. Quæ quidem dico non quòd existimem, omnem, qui nomen Eloquentis vult mereri, nouum iter ingredi debere, sed vt ostendam absq; solida rerum cognitione nihil vnquam eximium ab Oratore præstitum iri. Illi namq; quos memorauimus prope immensum confecerant doctrinæ thesaurum, vt non adeò difficile fuerit stylum ab omnibus diuersum efformare. Neque etiam ita extollo rerum ipsarum cognitionem, vt illis quicquam largiar, qui putant se non posse doctos vo-

 cari,

cari, nisi sordidæ dictioni suas cogitationes inuoluant, & eruditas aures rudi, & incondito verborum strepitu obtundant. Nos ita vnum putamus sequendum, vt ab altero, si fieri possit, ne latum quidem vnguem liceat discedere, & tamen vtroq; cultu exercendum ingenium, vt stylo ferreo in silice exarari cupiam iudiciosissimi scriptoris pronunciatum, quando Eloquentiç studioso occlamat, & inquit:

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.

Ne sperent, qui tantum aura verborum leuissima nituntur in nauigatione literaria, se aureum sapientiæ vellus posse domum referre. Cur nos hodie hetrusci cœli immortalia nomina Dantem, Boccacium, Petrarcham veneramur tantopere, cur tanquam nostræ linguæ meritissimis parentibus assurgimus, nisi quia Socraticas chartas non minus quam suos digitos notissimas habebant? Sic dum in ipsis radios spargit mens ingenti literarum lumine illustrata, sermonis variantes stricturas splendidiores reddiderunt, & magnifico agmine auxerunt, & dilatarunt. Et tamen quam maligna luce micabat illa tempestate Socraticus fulgor? Vix quicquam profectò licebat absq; crepera caligine vsurpare. Quò maior laus est insignium virorum, quibus non obstitit huiusmodi difficultas, quo minus patriç loqueląe illustrarent latissimā regionem. At hoc tempore nostra longè maior est felicitas. Superiori namq; seculo cum affulgeret Medicei nominis clarissimum sidus, diuini Platonis monumenta, in quibus Socrates exultat, in illustri loco fuerunt collocata. Et ex tanta domo Magnanimi Heroes nihil omiserunt eorum, quibus disciplinæ, & quicquid ad Elo-

quen-

quentiam deducit instauraretur honorificè, & quà longè lateq; patet terrarum orbis diffunderetur splendidè. Illinc Leonis Decimi generoso veluti rugitu perterrita iditatis monstra aufugerunt, siluerunt. Hinc Magnus Cosmus orbem quasi nouum maximo ornatu in-xit, & expoliuit. Vtriusq; nomini quam gaudeo me esse obstrictum. Nam Romę linguam Gręcam sum professus in Gymnasio, quod Leonem profitetur auctorem munificentissimum. Et ex alterius sanguine inclitus, & verè Magnus Dux Ferdinandus ita suę benignitatis in me extendit diem, vt sedem hanc iusserit conscendere. Sedem, ex qua Mediceo numine annuente tot disertissimi Viri studiosæ, & florentissimæ Iuuentuti ad Virtutis, & Eloquentiæ templum præiuerunt.

Quis verò ego, qui tantis Viris ausus fuerim succedere? A quibus, & maximo interuallo me remotum, & absque comparatione inferiorem agnosco lubens, & profiteor ingenuè. Manutij nomen tam celebre est, vt ipsa prope eruditio non alio nomine venire cupiat. Ansidæi mellita facundia quem non deterreat? Robertus Titius scriptis Controuersijs Viro Magno, sed tumenti fibulam imposuit, & famam apud Transalpinos est consecutus ingentem. Bulengeri verò quanta est Eruditio, quam varia Scriptorum lectio, quot librorum in lucem emissio? Scapinellus etiam licet à matre cæcus prouinciam hanc cum laude potuit sustinere. Post istos, inquam, ego in conspectum vestrum prodeo, qui quò magis ingenij bonis destituor, eò maiori studio in arce vestri fauoris omne præsidium colloco, quos propterea sollicitis precibus ambio, quos per ge-

nium

nium huius regionis placidiſſimum obſecro atque obteſtor agnoſcite, ſuſcipite hominem, qui vt veſtrę vtilitati inſeruiret, Roma potuit diſcedere, potuit tot cariſſima capita relinquere, poſt decennium in aula tranſactum ad vos diuertitur, eo animo, vt nihil magis habeat in votis, quam veſtræ beneuolētiæ clypeo tectus, Spartam, quam nactus eſt, ſi non ornare, ſaltem tueri, labore ingenti, exercitatione multiplici. Cui ſi animus eſt alacer, ſi vires iuuentutis paratæ, ſi aliquis ex conſuetudine clariſſimorum hominum in literis vſus, adeſte, fauete. Quando namq; per vaſtum eruditionis pelagus felicem curſum tenuero, id totum veſtræ frequentiæ, & aſſiduitatis aura eueniſſe gratus vbiq; fatebor.

FINIS.

E. P.